



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Præfatio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)



PRÆFATIO AD LECTOREM.

Quid in hoc opere intendatur præcipuè, ostendit titulus cum adjecta Dedicatione : proponitur nempe Mundus Aspectabilis, non vulgariter, sed philosophicè considerandus. Studium Philosophicum à multis non æstimatur pro merito, ab aliquibus etiam contemnitur ut inutile; cum tamen Philosophia naturali rerum omnium scientiâ instruat intellectum, & ad omnem honestatem dirigat voluntatem, in quibus planè consistit Sapientia, quam quærit amans Sapientiæ Philosophus. Sapientes esse, aut saltem videri, cupiunt plerique omnes, non tamen omnes ingrediuntur Sapientiæ viam: contemplatio Mundi hujus aspectabilis, artefacti numeris omnibus absoluti, nos manu ducit ad Sapientiam, cum opus sit Opificis Sapientissimi; in hoc etenim opere relucet, quidquid magnum, quidquid artificiosum, quidquid sublime, atque admirandum esse potest homini, magnificæ hujus Domus Incolæ; qui proinde ex iis, quæ facta sunt, cognoscit perfectionem Conditoris, sapientiam, potentiam, bonitatem; atque exinde etiam intelligit, ea sibi præstanda esse, quæ Creatori ac Patri optimo debentur, & rationali hominis naturæ conveniunt. Horum igitur scientia vel maxime decet hominem, in cujus gratiam hæc facta sunt, præsertim verò illos decet, qui vel natalium prærogativâ, vel con-

conditionis dignitate supra vulgus elevati sunt; quàm enim indecorum est, non posse vera à falsis, aut certa ab incertis discernere, supra plebem non sapere, in obviis ignorantem esse.

Sed quamvis omnibus inesset illa sciendi desiderium, plerosque tamen absterret difficultas hæc assequendi: adverti enim sæpius, juventutem studiosam statim absterri, vel subtilitatibus metaphysicis, quibus impletur Philosophia antiqua, vel sublimioribus Matheseos demonstrationibus, quas novas inspergunt Recentiores. Subtilitates metaphysicæ faciunt equidem ad perfectionem scientiæ; at multi non immerito conqueruntur, illas passim applicari quæstionibus, quæ, ut dici solet, sunt de solo nomine, aut de non supponente, aut de lana caprina; cum interim aliæ supersint plures de re, & quidem majoris momenti, quibus sufficienter exerceatur, & utiliùs instruatur intellectus. Mathesin quod attinet, illa planè ad naturalium rerum intelligentiam est necessaria: cum enim Deus omnia fecerit *in numero, pondere, & mensura*, in quibus tota consistit Mathesis, nemo certè rerum in hoc mundo ordinem, proprietates, proportionem, vires, agendi modos sine hac intelliget, aut explicabit, ut adeò hæc omnia ad unam scientiam pertinere videantur, nempe Philosophiam perfectam.

Attamen ita temperanda sunt omnia, ut incipientes non absterreantur; hinc, quæ Mathematica sunt, ea duntaxat proposui, quæ faciliora sunt, & ad sufficientem Mundi aspectabilis intelligentiam necessaria: quæ verò metaphysica, iis solum quæstionibus applicavi, quæ majoris sunt momenti; reliquas, aut leviter tantum attigi, aut omnino omisi: ea enim potissimum selegi, quæ faciunt ad eruditionem & scientiam nobili juventute dignam; & quamvis disputationes, uti fit in scholis, ad ultimos difficultatum apices non promoveam semper, ubique tamen studeo, ea proponere fundamenta, quæ ad solidam doctrinam sufficiant. Quoniam verò hac ætate, non antiqua modò, sed nova etiam Philosophia plurimum invaluit, utriusque principia veniunt hic exponenda. Nec tamen Antiquorum, nec Recentiorum sententias universè hic defendo: propono tamen & horum, & illorum rationes, ne in alterutra philosophia peregrinus sit

Sapientiæ studiosus. Plura sunt, quæ difficile est decidere: *Mundum tradidit Deus disputationi hominum.* Multum interim est, ea scire, quæ sciunt Docti, etsi rem ipsam penitissimè non intelligamus; multum etiam est scire, quid nesciant alii, ne vel adeò facilè nugivendis credamus, aut ipsi de rebus obviis imperitè loquamur. Brevitas cum claritate Lectorem allicit, eruditio recreat, & soliditas pascit: his omnibus studui pro viribus. Quas allego rationes ex citatis Auctoribus, habeo vel ex ipsis Fontibus, vel ex aliis probatis Scriptoribus: Similiter experientias, vel ipse feci, vel ab aliis factas vidi, vel refero ex aliis fide dignis; ubi notes velim, non illico negandas esse, quòd non succedant semper & omnibus: confectioem phosphori quinquies frustra tentarunt aliqui coram Imperatore Sinensi, nec tamen propterea experimentum est dubium.

Habes igitur in hoc opere epitomen eorum, quæ in Mundo hoc Aspectabili continentur, quæ vel ego in meis peregrinationibus vidi, vel à Viris Doctioribus audiui, vel ex eorum libris hausi. Addidi hinc inde animadversiones aliquas, quibus Benevolus Lector poterit addere plures & meliores. Hoc tamen meminisse oportet, nos hic profiteri Philosophiam Christianam: quare id imprimis cordi habeat Philosophus Christianus, ut, ubi præit lumen Fidei, sequatur & ipse, etsi fortè ratio humana, quæ falli potest, difficultatem sentiat, aut quandoque sibi relicta, videatur inclinare in contrarium. Hinc quæ mea sunt, & hæc non adeò multa sunt, non aliter intelligi cupio, nisi quatenus Fidei nostræ principiis consentanea sunt.

Mun-